



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

Non tantùm magna, sed & minima quæque ex regula esse seruanda. Cap.  
9.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

ab illa reprehendi, & transgressor iudicari. His magnis Domini misericordiis donati, dum regulam custodimus, & illa, quam diximus, pace ditati, merito fatebimur, quia pax super nos & misericordia, & super Israel Dei. Et, si mundo valediximus, ut pacem quaeremus, & misericordiam Domini acciperemus, regula profecto nobis seruanda est, quæ dum virtutes inserit, pacem affert, & post pacem multiplici nunc miseratione nos cingit, donec ad illam patriam veniamus, in qua pax perfectissima omnem etiam minimam inquietudinem tollet, & felix misericordia, & felicitas misericors omnem omnino miseriam submouebit.

*Non tantum magna, sed & minima  
quæque ex regula esse  
seruanda.*

CAPVT IX.

**N** cuiusvis familiæ religiose regula quædam eorum, quæ præcipiuntur, sunt magna, quædam sunt parua: alia grauiora, alia leuiora: & quædam omnino minima, quæ licet non æquali cura ac diligentia, omnia tamen sunt exquisitissima mentis contentione seruanda. Magna magno conatu seruanda esse, nullus ignorat, quorum transgressio, grauis est, & à Dei amore ac familiaritate nos separat; quorum observatio vtilissima est, & magnum nobis profectum importat. At minima cur magna cura custodiamus, cumque nullius ferè momenti videantur, non est cur eorum transgressio sit noxia neque observatio proficua? Hisque præcipue eorum omisso concedatur, qui sunt iam vitæ religiose diuturnitate firmi, & assidua omnium virtutum exercitatione robusti; quoniam sicut corpora valida, & bene temperata minoribus excessibus non læduntur; ita animæ, virtute perfectæ, nec minimorum transgressione fuscantur. Quarum pulchritudo tanta est, ut à rebus parui momenti non pendeat; quarum diuitiæ tam amplæ, ut hæc minima detrimenta non metuant. Sed re vera minima quæque, à regula proposita sunt, nisi penitus desipiamus, diligenti cura seruanda. Hæc enim incipientibus, & imperfectis maximè necessaria esse, præacta similitudo demonstrat. Qui cum sint planè infirmi, & in virtute parum stabiles, non possunt horum omissione non lædi, nec tuti sine istis in arrepta professione persistere. Nam professionem religiosam non sine ordine discimus: ordo verò illud postulat, ut prius faciliora, postea difficiliora præstemus; nunc minima & post modum maiora discamus. Quomodo autem omittis facilioribus ardua ac laboriosiora facies, & minimis ignoratis maiora cognosces? Domini sententia est, qua principem quendam Iudæorum increpuit: Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo si dixerò vobis cælestia credetis? Quo loco per terrena intellexit baptisina aquæ, quod licet cæleste sit, in terra suscipimus; & per cælestia, mysteria diuina, à sensibus auulsa, quæ hic fide credimus, & in patria clarè videbimus. Eadem verò sententia potest & rerum modicarum transgressores reprehendere, aut ea tantisper mutata ipsorum oscitantiam damnare: quod si auditis terrenis, id est, his, quæ terreni homines ad vitam religiosam venientes, facile præstant, non parent; quomodo auditis cælestibus, id est, sublimioribus perfectionis documentis, obediunt? At observatio

IOAN. 3.  
12.

minimorum etiam est in virtute proeclis necessaria, cum ea sint velut folia, quæ & arborem ornant, & fructus asseruant. Sic minima rectè custodita à viro perfecto, & illius virtutes custodiunt, & miranda pulchritudine vestiunt. Erenim ille redditur admirabilis, qui magnus existens, minora non despicit, & cum maioribus intendat, nunquam minutiora desicit. Aliquando mirati sumus eximium Theologum, grauisimum studiis occupatum, qui inter tyones artium liberalium positus, ita minutias grammaticorum, & puerilitates dialecticorum tractat, ac si ante quos dies illas ex professo didicisset, & in nullo alio suam operam collocasset. At multo magis virum perfectum admiramur ita modica disciplinæ seruantem, ut in eis seruantes nouitios excedat, & non solum conuersatione sua maiora doceat, sed semetipsum vitæ exemplo magistram minimorum exhibeat. Et sanè ex sententia Plutarchi insignis Philosophi indicium est magnæ virtutis, minora curare, & paruulos quosque defectus timere. Eius verba sunt: Non mediocre argumentum est, nos in virtute progredi, si nullum iam peccatum leue & exiguum putemus, sed omnia studiosè vitemus, atque obseruemus. Ut enim qui diuites se fore desperant, paruos sumptus facere pro nihilo habent, quod nihil magni futurum putant, si paruum paruo adiciatur: spes autem propius ad finem accedens, simul cum diuitiis auget diuitiarum amorem: Ita in virtute, qui non dicit: Quid tum postea? modò sic, aliàs melius, sed singulis intentus, ubi vel minimo peccato vitium se insinuans, veniam locum dare videtur, ægrè fert, & indignatur, satis ostendit, se purum aliquid sibi iam comparasse, quod inquinari nullo modo velit. Omnibus ergo tam incipientibus quàm proeclis, necessarium est minimas culpas vitare, & minima nobis iniuncta solerter custodire.

Hoc cum ita sit, inuestigemus aliqua, quæ omnes valeant ad diligentem minimorum custodiam allicere. Ex quibus illud magni momenti est, quod qui modica non custodiunt, in magnum discrimen delinquendi & cadendi incidunt. Ponamus modò (quod certum est) multa ex regula, & ex statutis religiosorum ad peccatum non obligare, atque adeò sine vilo peccato, non tamen sine inculpatione pœnæ, sub qua iubentur, posse dimitti. Sed non ob id sunt habenda contemptui, quæ sæpe alia ratione ad peccatum obligant, & esto, quod nulla ratione peccatum in se habeant, ad multa peccata, & multa scandala animum transgredientis præparant. Dixi aliqua minora, licet non à regula sub interminatione peccati iubeantur, alia ratione peccatum continere, & non me pœniter: nam ita esse, nemo qui attentè consideret, negare poterit. Cuius rei vnum, aut alterum exemplum subiciamus. Regula silentium præcipit, & non obligans ad culpam, sed ad solam pœnam præcipit: at silentij prætermissio, & verborum ociosorum, & superfluatorum prolatio, peccatum est, non quidem quia regula vetuit, quæ in hac re ad peccatum obligare noluit, sed quia talia verba ex se illicita sunt, tanquam debito sine carentia, & quia Dominus ea prohibuit, dicens: Dico autem vobis, quoniam omne verbum ociosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Regula contentiones vetat, & tantum interminans pœnam vetat, at contentio, peccatum est, non quia regula vetat, sed quia contentio rectè rationi contraria est; quam Paulus inter opera carnis enumerat, & alio loco præcipit, ut [nihil per contentionem fiat. Constitutio religionum ferè omnium inuolubiliter tenet, ut religiosi, non soli, sed associati

Plut. lib.  
de profectu  
viri.  
sententia.

Matth.  
12. 36.

Galat. 5.  
20.  
Phil. 2. 3.

incedant,

Ecc. 3. 27.

Rom. 14. 15.

Chryso. hom. 88. in Matt.

incedant, quæ etiam non inducit peccatum: quis autem non videat religiosum adolescentem delinqueret, si dum socium sine causa deserit, & solus incedit, aut se periculo alicuius peccati exponeret, aut scandalum generaret? Nam qui amat periculum, ait Ecclesiasticus, in illo peribit: perit, inquam, non solum quando in ipsum periculum, cui se exposuit, cadit, sed etiam licet non cadat, quando temerarie se periculo casus exponit. Et qui fratrem scandalizat, atque contristat, ut Paulus ait, non secundum charitatem ambulat. Si ergo indiligentia hæc minora transgredi, aliqua ratione peccatum est, iam apparet quam sollicita sint cura seruanda, ne in peccatum labamur, & ne ex peccatis minoribus, deposita verecundia, ad maiora properemus. Certum est enim, minora delicta, præsertim inuerecunde commissa, ad grauiora aditum aperire: quod & supra à nobis monstratum est, & Chrysostomus hac luculentissima oratione confirmat. Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Soler mihi nonnunquam non tanto studio magna videri peccata esse uitanda, quanto parua & uita; illa enim ut auersemur, ipsa natura peccati efficit: hæc autem hæc ipsa re, quia parua sunt, desides reddunt; & dum contemuntur, non potest ad expulsiõem eorum animus generose insurgere. Vnde citò ex paruis magna fiunt negligentia nostra: Hoc ipsum corporibus quoque accidere videbis. Sic in Iuda maximum proditiõnis malum exortum est: nisi enim putasset, paruum esse, pecuniam inopum surripere, in tantam proteruitatem non deuenisset. Iudæi quoque nisi putassent inanis gloriæ delictum minimum esse, vsque ad cædem Christi lapsi non fuissent. Hac via omnia scelerata fieri videbis. Nemo enim repente ad extremam improbitatem insiliit. Habet quippe insitum quendam animam pudorem atque innatum, quem subito calcare, atque proicere non potest: sed sensim, atque paulatim ex negligentia perit. Hoc pacto etiam idolorum cultus aditum inuenit, cum vltra quam oportet, viui ac defuncti nonnulli honorarentur. Hoc pacto simulachra & statua adoratae sunt. Hoc pacto denique fornicatio & cætera vitia dominantur. Consideremus autem si nimium quidam ac importunè risit, reprehensus à quopiam est: respondet alius, nihil esse id mali. Quid enim est risus, aut quid vnquam ex risu mali sequitur? Oritur tamen ex immoderato risu paulisper scurrilitas, à scurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta est. Cum alius proximo malediceret, ac conuitia diceret, reprehensusque esset, contempsit, dicens nihil esse mali huiusmodi verbis uti: sed hinc dissidia & odia nata sunt, inde inimicitia capitales, hinc contumelia, à contumeliis potro pulsatio, ac inde cædes plerumque secuta est. Sic à minimis ad maxima gradatim diabolus ducit. Hæc tenus Chrysostomus.

At demus, hæc minima nulla ratione esse peccata, quia neque à regula sub peccato vetita, neque alio mandato prohibita, neque periculo scandalis aut casus exposita; adhuc sunt multa cura seruanda. Quare: Quia hæc præterire ad imperfectionem, & quandam spiritus laxitatem pertinet, qui minorum obseruatione, ne effluat, quasi ligamento constringitur. Quia in proposito implendæ diuinæ voluntatis deficiamus, & Domini monita ac consilia calcamus. Quia firmam voluntatem regulam seruandi deserimus, & pollicitationem nos statui religioso accommodandi præterimus. Quia à semita perfectorum elongamur, & vias laras tepidorum & imperfectorum ingredimur. Quia denique aliqua minora sunt tanti momenti, ut illis reiectis insipiens homo minus

A aduertens, à se non perfectionem tantum, sed & salutem abiciat. Nam si ad os putei accedas, forte cades: & si te in ignem conicias, sine dubio comburens. Sic prorsus si minora tollas, post quæ discimena peccati later, forsitan peccato sedaberis. Ingressi cellam alterius fratris absque superioris permisso, peccatum non est, licet apud nos cõstitutione vetetur. At in hoc quanta est peccatorum occasio? Si enim clam & absente fratre ingrediaris, forte aliquid è cella tolles, aut quod non oportebat scire, leges: si verò de fratris assensu & eo præsentem introcas, quanta ociosa dices, quanta detractoria loqueris, quantum temporis sine fructu elabi sines, & quomodo malo exemplo tuam imperfectionem videntes lades? Similiter cum domo de licentia superioris egredimur, verum est nobis aliò ire, quam ipse permittit. At tu socium inescas, & domum aliquam sine facultate superioris ingredieris. Quantum est in hoc delinquendi periculum, cum diabolus ibi laqueum abscondit, quo te comprehendet, & sanctissimum, quem profiteris, statim traducat? Passerculus in arbutula sine timore sedet, & visco capitur atque tenetur: sic sæpe insipiens homo, domum quam non decebat, securus ingreditur, & occasione, quam nec somniauerat, quasi laqueo ligatur. Diciturque non sine luctu illud Ieremias: Quare factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis reuuit curari? Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium. Quamnam tu putas esse aquas infideles? Nonne illa sunt, quæ primo aspectu, nec digitos pedum operire videntur, sed tamen profundissima, & miserum hominem obruunt, atque demergunt: Sic sunt quidam defectus, & quædam virorum spiritualium transgressiones, principio quidem medicatu faciles, temporis verò progressu difficiles, quæ in dolores perpetuos & plagas desperabiles transeunt, & vix aliquam curationem inueniunt. Nescitis, inquit Paulus, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Id autem dicit, quia peccatum vnius quod dissimulamus, & non arguimus, multos contaminat, & paulatim in totam se congregationem diffundit. Sec idem de quibusdam paruis defectibus possumus sine vlla exaggeratione fateri, quod in assuetudinem versis, mentem eneruant, & vitam omnem spiritualem inquinant, dum maiorum peccatorum semina existunt. In bonis profectò modica initia desipientia non sunt, quæ paulatim in magnam abundantiam excrescunt. Quod significat illa sententia Baldad, lobum ad iustitiam adhortantis: In tantum ut si priora tua fuerint parua, & nouissima tua multiplicentur nimis. Deus, inquit, ob iustitiæ opera, mentem tuam pacatam reddet, & modica virtutum semina ita multiplicabit, ut ex incipiente perfectus, & ex paupere diues fias. Et in Zacharia scriptum est: Quis despexit dies paruos? Ac si diceret, nemo debet diuitiarum tenuitatem aspernari, quia paucis bonis asseruatis, bonorum abundantia superueniet. Ita ergo nec sunt malorum initia contemnenda, quia ex initio mali ad malum progredimur, & ex modico malo ad magnum malum currimus, & ex illo ad cordis duritiam festinamus. Prouerbiũ est non hominis, sed Dei: Qui spernit modica, paulatim decidit. Si enim curate parua negligimus, ait optimè Gregorius, insensibiliter seducti, audenter etiam maiora perpetuamus. Et alio loco: Qui peccata minima flere ac deuitate negligit, à statu iustitiæ, non quidem repente, sed partibus totus cadit. Modica itaque tenenda sunt, ne post parum relictum, reliqua abeant, & nos pauperes vacuòsque dimittant.

Alia ratio huic proximè accedit, ob quam debe-

Ierem. 15. 18.

Cor. 5. 6.

Iob. 8 7.

Zach. 4. 10.

Ecc. 19. 1. Greg. 10. mor. 69. 3. P. passo. ral. nam. 4.

mus diligenter parua seruare. Quia nimirum dum hæc oscitanter transgredimur, & minimis erratis admittendis assuescimus, timorem grauiorum peccatorum amittimus. Vestis paulatim atteritur, & qui hodie aliquantulum detritam vestem gestare non metuit, cras magis detritam, & post paucos dies omnino laceram sine vilo rubore gestabit. Sic qui conscientiam paruis defectibus hodie deterit, post non multos dies, maioribus sine pudore discindet. Hæc autem causa est, quare idem sanctus Pater Gregorius paruos defectus quodammodo plus quam magnos, timendos esse decernit. Admonendi sunt, inquit, qui in minimis frequenter excedunt, vt sollicitè considerent, quia nonnunquam in parua detritius quam in maiori culpa peccatur. Maior enim quo citius, quia sit culpa, agnoscitur, eo etiam celerius emendatur. Minor verò, dum quasi nulla creditur, eo peius, quò & securius in vltu retinetur. Vnde sit plerumque, vt mens assueta malis leuibus, nec grauiora perhorrescat, atque ad quandam auctoritatem nequitiae per culpas nutrita perueniat, & tanto in maioribus contemnat permissescere, quanto in minimis didicit non timendo peccare. Dum itaque vis à magnis cauere, noli, vt caueas, parua negligere. A scintilla enim vna augetur ignis, & ab vno doloso augetur sanguis. Et quis vitæ spirituali magis dolosus, quam paruos defectus, qui maioribus aditum aperit? Hic profectò timendus est, ne sanguinem augeat, id est, ne grauiora peccata inferat. Attende, o iuste, tibi à pestifero; ab eo nempe leui defectu, qui solet ad maiora pertrahere: [fabricat enim mala;] & sicut in ædificatione domus, quasi super vnum lapidem alterum, ita vnum peccatum super aliud imponit; [ne forte inducat super te subannationem in perpetuum.] Admitte ad te alienigenam, nimirum illud opus, quod à tua professione alienum est, & subuertet te in turbine, ac non sine molestia tua ac turbatione disperdet, & abalienabit te à tuis propriis, quia virtutum faciet pauperem, dum facit laxitatis amatorem. Et dum tibi in quibusdam defectibus condescendis, à nomine perfecti iusti excides. Hoc enim nomen, iustus, inquit Chrysostomus, consueuimus dicere de his, qui omnigenam exercent virtutem. Et postea de iusto Noè loquens: Omnia, inquit, impleuit, quæcumque facere conuenit cum, qui virtutem amplexatur. Hic enim est perfectus. Nihil enim intermisit, in nullo claudicauit. Non tamen hoc bene faciebat, in illo verò peccabat: sed in omni virtute perfectus erat, quia tunc pollere illum congruebat.

Sed aliqua sunt in vita ac professione religiosa ita minima, vt neque ipsa peccata sint, neque ad aliquod peccatum trahant. Fateor. Sed hæc etiam debent ab omnibus, tum nouitiis, tum prouectis, ac senibus sollicita cura seruari. Nam & hæc parua diuinæ voluntati sunt consona: quis autem parua despiciat, quæ magna Dei & sancta voluntas probauit, & facienda esse præscripsit? Hæc parua à magnis & perfectis, viris nostri status fundatoribus sunt sapienter instituta: & magna esset irreuerentia, quæ tanti viri sanxerunt, aut superbè negligere, aut nulla existente causa calcare. Hæc parua spirituales viri, mundiciæ audi diligenter obseruant; & qui per eorum viam non incedit, nunquam ad magnam animi sanctitatem perueniet. Ac tandem in his paruis magnum quid ac excellens contemplantur, quòd sine contemptu prætermittat, parum, aut fortassis nihil nocent, custodita verò valde proficiunt. Quia rerum minimatum appositione magnum meriti pondus acquiritur. De qua re hæc sapienter dixit Basilus: Qui enim di-

ligèter ex vnaquaque re fructum decerpunt, iis, perinde ac magnis fluminibus, multæ omni ex parte accessiones fieri consueuere. Nam modicum modico apponere, non magis in argenti quam in cuiusque alterius scientiæ additione, ad amplitudinem valere existimandum est. Et sanè si magna non facimus, & parua despiciamus, quam ratione spirituales diuitias mentis augebimus? Ne ergo contemnamus seruare parua, quorù labore, si non perfectorum præmia consequemur, saltem peccatorum ad Deum conuersorum mercede donabimur. Valdeatq; ad hoc scita oratio Chrysostomi, qui sic ait: Vbi aslurgere ad ordinem solis aut lunæ non datur, ne contempserimus astrorum cœtum, donec tantum virtutis de nobis præberimus, vt liceat incolere cœlum. Si non aurum, si non pretiosus lapis habebimur, ad argenti modum pertingentes, adhuc permaneamus in fundamento. Id vnum cura sit, ne ad eam deflectamus materiam, quam ignis citò corripit: deinde cum videmus egregia facinora superare captum nostrum, minora perfecisse, nihil pudeat. Reiciere enim parua, vbi magna consequi non vales, extremæ est dementia, quam omnibus modis effugiamus. Quemadmodum enim opes corporis accumulatur, cum amatores illarum ne minimum lucellum negligunt: sic spirituales diuitiæ. Num absurdum apparet, quòd iudex quoque frigidi poculi mercedem rependat? At qui nos stolidiores, nisi magna beneficia possimus, minorum curam omnem abiicimus. Minima qui non despiciat, accurato studio vel maxima perficiet: qui verò illa fastidit, ab his interrim excidet; quod ne contingat, libuit Christo pro illis mercedem amplissimam certò polliceri. Hæc ille. Certè pro operibus paruis magna & excelsa præmia ille daturus est. Et fortassis hoc indicant illa verba Saluatoris: Euge seque bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Licet enim pauca illa, auctore Hieronymo, Beda, & Anselmo, temporalia significant, quæ comparatione æternorum exigua sunt, & propter fidelem dispensationem illorum bona semper duratura mereamur: Esti etiam secundum alios omnia, quæ agimus, & quæ patimur, significant: nam vniuersa hæc si cum præmio conferantur, paucissima & nullius momenti sunt, iuxta illud: Non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. At si Chrysostomum sequamur, qui talenti nomine quicquid facere possumus, intelligit: verè etiam parua, & inodica pro Christi amore suscepta, sunt in talentis comprehensa, quæ à nobis non omiffa, Domino grata sunt, & laudibus ab eo delatis prædicabuntur, & magnis præmiis afficientur. Nec mirum quòd Dominus hæc exilia laudet, & præmiat, qui sicut est superborum contemptor, ita est amator humilium: hæc verò parua à viris magnis, & litteratis, & in virtute prouectis sincere præstari, apertum est humilitatis indicium. Superbi, & qui ambulant in magnis, & in mirabilibus super se, hæc parua disciplinæ religiosæ despiciant, & se fractores disciplinæ protestentur, vt à Domino rideantur. At humiles modestique religiosi ea suscipiant, & opere compleant, vt sapientes & Deo grati prædicentur. Sciunt namque illi, & experimento comperiunt, se à Domino in minimis, quæ postulant, exaudiri, & non solum magna virtutis merita, sed & puerilia quædam, quæ desiderant, vt tentatiuè abscissam, doloris alicuius leuamen, aduentum amici, quo iuuantur, & alia familia concedi. Et vt vicem tam benigno patri rependant, licet illi iam sint virtute perfecti, curant in minimis

Greg. in  
ubi oral.  
suprà.

Eccles. 11.  
34.

n. 35.

n. 36.

Chrysost.  
hom. 23.  
in Genes.

Basil.

Chrysost.  
epist. 5.  
ad Theodor.  
Lect. La-  
psum, To.  
5.

Math.  
25. 23.

Hier. Be-  
da, Ansel-  
ibid.

Rom. 8.  
18.  
Chrysost.  
hom. 18.  
in Matt.

Domini

Dominum exaudite, & voluntatem eius non solum in magnis, verum & in parvis explere. Petit namque ille a nobis haec parua, vt splendorem status nostri seruemus, vt tyronibus, & adolescentibus exemplo prae luceamus, & vt ad magna virtutis fastigia admittamur, dum his minimis pra humilitate nos indigere profiteamur.

*Quis modus in Regula obseruatione tenendus.*

CAPVT X.

**S**I haec, quae de regula custodia dicta sunt, seriuo apud nos expendimus, & attempta mente considerauimus, facile erit intelligere, quem modum in regula seruanda tenere debeamus. Nam si custodia regulae, ac institutionum religiosarum, nihil aliud est, quam omnium exercitatio virtutum, si ea veram mentis pacem omnium bonorum amabilissimum assequimur, & misericordiarum Dei capaces efficiamur, quis non intelligat, regulam, ac institutiones istas per uigili esse diligentia seruandas? Certè extraordinaria cura ac sollicitudine seruandae sunt, ac ea diligentia, quam ipse exigunt, eaq; perfectione, quam ipsa praescribunt omnimodis adimplendae. Nihil est in vita religiosa, cuius perfectio, non, regula dictante, monitretur. Ipsa docet quomodo orandum sit, & quomodo in pias ac salutare actiones incumbendum: ipsa exponit, quid in rebus seriis, & quid in ludicris, ac animi remittendi gratia suscepris agendum: ac tandem praescribit, quid sit cum Deo, quid cum proximis, & quid cum nobismetipsis obseruandum. Res tanta non perfuntoriè, non tepidè, non indiligenter impleatur, sed intentè, seruide, diligenterque seruetur. Ea namque ex quibus aut substantia mundialis, aut honos, aut temporalis vita dependet, diligentissime exequimur: quidni ex praescripto regulae iussa diligenter exequamur? In his enim est anima nostra substantia, quae non nummis, sed virtutibus, sed pace, sed Dei misericordiae accrescit: in his uerus & solidus honor, quem executioni mandata uirtus acquirit: in his vita in aeternum duratura, quam minime possidebit qui praecpta sibi imposita violauerit; qui uero minora frigerit, quae leuia peccata continent, eam non nisi per ignem, & cruciatum, & ardorem acquirat.

Sed hunc modum in regula seruanda tenendum sigillatim exponamus, quem in Deuteronomio descriptum aspicio, dum quae de diuinis praecptis scripta sunt, ad regulae obseruationem extendo. Erunt, inquit, uerba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribentque ea in limine & ostiis domus tuae. Nihil aliud desiderari potest ad diuinam uoluntate implendam, quam id, quod ipsa diuina uoluntas a nobis exigit, quae si compleuerimus, fidelissimi erimus diuinarum uerborum obseruatores. Octo autem sunt, si attentè haec uerba pensentur, quae a uirginitate exiguntur, vt Domini sui iussa perficiant, quae nos exponemus, vt ipsi iusti legentes, quae ex ore tanti magistri didicerint, actione prestare contendant. Primum & caput omnium est: Eruntque uerba, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo. Attendendum est quis praecipiat, & quando praecipiat, vt haec duo tanquam duo fides validissimi nos ad honestè uiuendū trahat. Quis praecipit? Deus. Quando praecipit? In die huius uita,

**A** quae nobis ad diripiendum caelorum regnum data est. Si magistrorum, aut parentum, aut Praelatorum, aut regum monita suscipimus, quanto magis uerba illius suscipienda sunt, qui magister est salutis, qui parens est uita, qui Dominus est uniuersorum, qui rex est caeli & terrae, cuius dicta si contemnamus, magistri, & patris, & Domini, & regis uniuersorum dicta contemnimus? Huius uero uita dies breuis est, & ad expugnandum caelum felicitatemque lucrandum, quare necesse est non morari, neque in re tanti momenti pigrescere.

**B** Verba ergo Dei, nobis ad perfectionem assequendam exposita, habeamus in corde, id est, magna reuerentia suscipiamus, pretiosissima existimemus, & magno amore amplecti curemus. Hoc enim esse habere aliquid in corde, docet Paulus ad Philippenses scribens: Eo quod habeam vos in corde, & in uinculis meis. Diligo uos, inquit, non uerbo & lingua, sed opere & ueritate in corde meo tanquam charissima pignora gesto, & uinculorum meorum compassione socios habere delector. Sit ergo regula in codice, sit in ore, id non prohibeo, sed multo magis sit in corde. Estimemus illam, tenerrimè diligamus illam, non onus, sed honorem; non iugum importabile, sed libertatem eius custodiam reputemus. Sponsa sponso suo inter uerba, ubi sedes est cordis, locum dare decernit. Fasciculus myrrhae, dilectus meus mihi, inter uerba mea commorabitur. Meditabar nunc (& aliorum sensibus non prauidico) sponsum myrrhae fasciculo comparari, quonia eius uoluntas multa a nobis exigit, uia regula tanquam uino fasciculo comprehensa, sensui quidè carnis amara, sed metis affectui suauia, quae a putredine uitiorum liberant. Hic ergo fasciculus inter uerba commoretur, & in praecordis locum inueniat. Ibi uirgines pretiosiores & chariora recondunt; ibi iusta anima mandata perfectionis abscondat. Castae uirginis uerba inaccessibilia sunt, nulli, nisi sponso, cui dicitur: Tibi dabo uerba mea, ea manu tangere, aut oculis uidere permittit. Ibi regula commoretur, ubi alienus non accedat, ubi demonis persuasio nullam ei iniuriam inferat. Cor alienis curis vacuetur, & sollicitudinibus huius saeculi detergatur, vt hanc curam summè sibi necessariam assumat. Nam vt agrotus ex graui & periculosa inualetudine conualescat, opus est vt medicus sedulo ac diligenter causas morbi disquirat, & congrua medicamenta applicet: opus etiam est vt ipse agrotus, non minori sollicitudine medicamenta accipere, & molestias curationis sustinere curet. Quia cura medici cum incuria agroti parum, aut nihil ad sanitatem comparandam conferet. Et nos cum essemus in saeculo, quasi agroti desperati, non carne, sed (quod grauius est) mente, in uitam religiosam, vt in ualitudinariam nos recepimus, ne aeternam mortem incurreremus. Medicus agrotationum nostratū est Christus, qui sollicita cura salutem animarū intendit. Cuius typus fuit ille Samaritanus, qui misericordia motus eius qui inciderat in latrones, curam illius egit: stabulario, nempe Praelato, curam illius habere praecipit. Vnde Ambrosius: Hic Samaritanus descendens quis est? Nisi qui descendit de caelo Filius hominis, qui est in caelo? Hic uidens femiuuim, quem nemo poterat antea curare, sicut illam, quae fluxu sanguinis proficiens in medicos erogauerat omne patrimonium suum, uenit secus eum, hoc est, factus compassionis nostri susceptio vicinus. Et post pauca. Curam illius egit, ne ager ea, quae acceperat, nequaquam praecpta seruaret. Sed praeter curam medici, opus est vt & nos medicamenta ab eo proposita, quae sunt regulae praecpta sumamus, & quae ipse praescripserit, seruare curemus.

**C** **D**

**E**

Phil. 1.7.

Can. 1. 13.

Can. 1.7 12.

Luc. 10. 34.

Ambros. li. 7. in Luc. eandem locum.

Deut. 6. 6, 7, 8.